Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 423
Quelle:
Copyright:

mento *Sermo Augustini* extat Edit. *Opp. Maur.* T. V. *col.* 41. Spurii duo habentur in *Append.* ejusd. T. *coll.* 40. et 42. Atque his et *Origenis Homil. in Exod.* mascule usus est Noster, hoc discrimine, quod illi Plagam Praecepto, hic vero Praeceptum Plagae conferat, atque ita ordiatur: *Prima plagarum quibus dominus egiptum percussit, aqua fluminis uersa in sanguine fuit. Eleuauit aaron uirgam* &c. *Primum preceptum fuit de colendo uno deo* &c. In fine subjungit aliud Παραλληλον Plagarum *Aegypti*, et Persecutionum ab Imperatoribus Rom. Ecclesiae primitivae illatarum, et alia Hermeneutica e PP. ad *Mosis* missionem in *Exodo* pertinentia. Ad initium manus sat vetusta adscripsit: *Eckebertus autor est;* verum nemini *Eckebertorum*, *Ecbertorum*, *Egbertorum* hujusmodi quid a Literatoribus tribui video.

II. *fol.* 10. *Incipit tractatus quomodo dicatur deus habere caput et oculos et cetera membra.* Initium: *Omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus unus atque trinus* &c. Ex *Eucherii Lugd. Formulis spiritual. Intelligentiae* maximam partem depromtus, legitur T. VIII. *Augustini append. col.* 67. paullo productior titulo *de Essentia Divinitatis*, et T. XI. *Hieronymi Vallars. col.* 138. inscriptus: *De his, quae Deo in Scripturis sanctis attribuuntur*, quin et *Ambrosii*, et *Anselmi*, et *Bonaventurae* jam in Codicibus nomine insignis. In nostro adjectae sunt discussiones aliquae, videlicet: *Primus homo immortalis factus est. Questio de originali peccato. Distat inter nostra et legalia sacramenta. De Corpore et Sanguine Domini* cum locis PP. *De Salomone* subfabulosum. *Quod omnes artes seruiunt diuine pagine*, simul cum quadam Introductione in sacrorum Librorum notitiam, ubi inter alia legas: *Sunt autem quedam apocrifa id est dubia uel priuata. Dubia quia eorum* (Autorum) *nomen ignoratur. Priuata quia non sunt recepta in fideli sinagoga. Vt iudit. tobias. Ecclesiasticus. Liber sapientie salomonis. Ihesus filius syrac. Duo libri machabeorum.* Quo loco per *fidelem Synagogam* Canonem Hebraeorum, et per *Apocrypha* Deuterocanonica intelligere licet.

III. *fol.* 19. *Incipit prologus in libro viatoris.* Ita: *Nauigantibus hoc mari magno et regione presentis peregrinationis laborantibus contigit interdum non nullos eorum portum salutis attingere non nullos uero non portum tenere posse sed fluctuatione demergi* &c. *Hac igitur inspectione commoti*, pergit Autor, *inter curiales nostras sollicitudines — hunc libellum edidimus. in quo diem presentis temporis totam ut possumus peragamus. ut noctescente in uespera. optata pacis tranquillitate dormiamus in domino* &c. Sequitur Elenchus *Capitum* CCCI. quorum I. *Qui sunt tres dies perfecti*, et ult. *Anacephaleosis hoc est recapitulatio sacramentorum.* Operis titulus: *Incipit uiator presentis diei qui uoluitur instantibus mutabilitatis post crea-*